

Fulmen quandoq; dissipat arbores, ac si cuneo fissæ esse
absq; adustione, quandoq; vero decolorat atq; denigrat
absq; incensione. Et causa primi est vehementia ictus. Se-
cundi, est raritas & debilitas exhalationis, quia ignis in materia
magis densa fortius urit, ut patet de ferro ignito, sed in mate-
ri animis densa nimis urit, ut patet in stupa.

III.

Fulmen percussa animalia venenat instar morsus ser-
pentis, & rabidi canis, quia materia ejus sulphurea est, & ve-
nenosa.

IV.

Fulmen quandoq; dissipat vas sine effusione vini, inroxi-
catq; vinum, ita ut potantes vel moriantur, vel rabiem & de-
mentiam incurrant, propter naturam ejus infectivam. Et ra-
tio stuporis vini, contrahitur in superficiem exteriorem, ubi
tanquam pellicula conservat vinum, ne defluat per triduum
ut dicit Nicolaus Orem.

V.

Fulmen percutiens animal venenosum purgat illud à ve-
neno: Sed percutiens non venenosum, venenat illud. Quia
ab eodem agente quandoq; diversi fiunt effectus, ratione ma-
teriæ aliter & aliter dispositæ, ut patet de vento unam cande-
lam exstingvente, & aliam incendente.

VI.

Fulmen percutiens dormientem, aperit oculos ejus, & vi-
gilantis claudit oculos, cujus causa est, quia dormientem ex-
pergiscere facit, sed vigilantem stupore afficit, qui claudit o-
culos, & citius moritur quam ut eos rursus aperire possit.